



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Corpus Doctrinae Christianae

Melanchthon, Philipp

Lipsiae, 1572

VD16 M 2890

III. Argumentvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36094

David Spiritum gratiæ & pacem, &c. Quod autem fides sit affectus promissioni gratiæ, manifestum est ex cap. 4. ad Romanos, ubi Paulus correlatiue copulat promissionem & fidem. Ideo ex fide gratia, ut sit firma promissio.

III. ARGUMENTVM.

Fide sumus iusti,

Fides est opus,

Ergo operibus sumus iusti.

RESPONDEO ad maiorem: Propositio hæc, Fide sumus iusti, intelligitur correlatiue, videlicet per misericordiam summi patris propter Filium Dei, & id beneficium oportet fide accipi. Quam enim fides est excellens virtus, tamen etiam est imperfecta & lapsiva. Et hoc vult doctrina Ecclesiæ, credentes per misericordiam propter Filium Dei accipere remissionem peccatorum & reconciliationem ac placere non propter propriam dignitatem. Ideo inquit Paulus, Sumus dilecti in dilecto, id est, propter filium. Alijque videntur responsiones, quas hoc loco omitto.

III. ARGUMENTVM.

Iusticia est obedientia secundum omnes virtutes, seu iuxta totam legem, seu conformitas cum Deo,

Fides non est omnes virtutes.

Ergo non est iusticia.

RESPONDEO. Maior est vera de iusticia legali. Quia vero legis iusticiam (scilicet integram obedientiam interiorem & exteriorem) non habemus, hanc ipsam ob causam imensa misericordia patefecit Deus promissionem de gratia, & imputata iusticia propter meritum filij mediatoris. Et simul fit incoatio obedientiæ conformitatis cum Deo, iuxta dictum 2. Cor. 3. Transformamur in eandem imaginem, tanquam à Domini spiritu.

V. ARGUMENTVM.

Deus iustificat,

Deus est dilectio,

Ergo dilectio iustificat.

RESPONDEO. Concedo totum, si sine ambiguitate argumentum intelligatur. Deus est dilectio, scilicet, qua nos diligit, ad illius essentia vere ac serio diligens homines propter filium. Et hæc dilectio, qua Deus nos diligit propter filium, iustificat. Huius propositionis correlatiua est: Fide iustificamur, id est, hac fide, qua agnoscimus & statumus nos diligi propter filium. Aduersarij vero cogitant, quod iustos esse dilectione, qua homo diligit Deum.